

que uiris ueluti vastum aliquod theatrum aperit, in quo exempla prudentiae, doctrinae gloriaeque imitanda, stultitiae, ignorantiae atque infamiae fugienda proponuntur. Ita nobiscum grauissimi sentiunt scriptores. Amore uirtutis extra patriam trahi, ingentis specimen animi in Archombroto agnoscit BARCLAIUS. (a) Non unius agelli, aut urbeculae, cauea includi, sed nobiliores orbis terrarum partes pedibus oculisque usurpare, atque cum iudicio penitus cognoscere, homini ingenuo gloriosum perinde, ac fructuosum iudicat Dux VVürtenbergicus apud LANSIVM. (b) A peregrinationibus, prudenter institutis, doctorumque consortiorum frequentatione maximopere suum commendat Metschium nostras quondam Orator, BVCHNERVS. (c) Neque hodie demum peregrinationes in usu esse coeperunt, sed olim a summis etiam uiris, doctrinae prudentiaeque cupidis, fuerunt institutae, prout exempla sat multa afferunt scriptores. (d) Quod autem Lycurgus, Plato, Socrates, Seneca, et nonnulli alii uel peregrinatione suis interdixerunt, uel eandem noxiā potius, quam utilem iudicarunt,

B 3 runt,

(a) Lib. I. Argenid. p. 28. edit. Elzevir. 1659.

(b) In Consultatione de principatu inter prouincias Europae. p. 7.

(c) In orat. panegyr. X. p. 211. seqq. Pari modo in summō quondam polyhistore, Conrad. Samuel. Schurzfleischio doctae peregrinationis studium laudat Magnificus Dn. IO. GVIL. BERGERVS, ut illustre huius Academiae decus, ita fortunae nostrae amplificator maximus, eoque nomine pia mentis ueneratione aeternum colendus, in dissertat. funebr. p. 253. Plura de utilitate peregrinationis, in principes perinde, ac uiros doctos redundant, uid. in REINHARD. theatr. prudentiae elegant. seu annotat. ad Politic. Lips. Lib. I. c. 10. p. 446.

(d) Veterum quidem philosophorum exempla afferunt laudatus supra BVDDEVVS c. I. et HEIDERVS in Philosoph. politic. prooem. p. 17.